



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Pavlv̄s III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

tiones suspectas, scandalosas, periculosas, errores continentes, hæresim sapientes, ac alias catholice fidei minus consonas, Christianæque pietati & bonis moribus minime conformes, huiusmodi vel earum quaslibet in posterum asserere, seu publice proponere, & populis prædicare audeant, vel præsumant, iuxta auctoritatem & potestatem eis Inquisitoribus, a iure aut alias quomodolibet traditam & concessam procedere & inquirere, suamque iurisdictionem exercere debeant. Necnon eis contra illos iuxta prædictam potestatem, ut præferitur procedendi & inquirendi, & iurisdictionis huiusmodi exercendæ facultatem quatenus opus sit, eadem auctoritate de nouo concedimus: decernentes præsentibus nostris litteris, nisi per signaturam manu nostra signatam minime derogari posse, irritumque & inane quicquid secus super his a quoque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari: districtisque inhibentes locorum ordinarijs sub interdicti ingressus Ecclesiæ & suspensionis a regimine, & administratione suarum ecclesiarum, necnon ciuitatum & locorum quorumlibet dominis Gubernatoribus, & Rectoribus, & alijs quibuscunque sub excommunicationis lætæ sententiæ, ac bonorum suorum priuationis pœnis, eo ipso si contra fecerit incurrendis, ne Inquisitores præfatos, quominus contra propositiones præfatas, vel earum quaslibet seu indultorum, concessionum, priuilegiorum, & exemptionum eorundem, & quouis alio prætextu asserentes, proponentes & prædicantes huiusmodi procedere, inquirere, eorumque iurisdictionem exercere libere possint & valeant quouis modo per se, vel alium, seu aliàs directè vel indirectè impedire præsumant. Non obstantibus præmissis & Apostolicis in prouincialibus, & in synodalibus concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, necnon ordinum eorundem iuramento, confirmatione Apostolica, vel quouis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, priuilegijs quoque & exemptionibus, prædictis quibusuis, sub quibuscunque tenoribus & formis, & per nos & sedem Apostolicam concessis, confirmatis, & innouatis; quibus etsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & expressa, non autem per clauulas generales idè importantes mentio habenda foret; tenores huiusmodi pro sufficienter expressis habentes, hac vice duntaxat, illis aliàs in suo robore permanens, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque. Et quia difficile foret præsentibus nostras litteras originales ad singula loca quo opus foret, destinare volumus & decernimus, quòd earum transumptis manu notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides indubia, in iudicio & extra vbicunque exhibitæ fuerint, detur, ac eisdem stetur, ac si originales litteræ ipsæ exhibite forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die xliij. Ianuarij, M. D. X L. II. Pontificatus nostri anno octauo.

P A V L V S I I I.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

*Iudæis ad fidem conuersis bona suâ integra conseruantur: si filij familias fuerint, legitimam, & aliâ quamuis portionem iure debitam, habent, etiam si inuitis parentibus conuertantur: quod si bona fuerint per vsuram, aut aliàs male acquisita, restitui illis debent, quibus iure fieri debet restitutio, quòd si tales personæ ignorentur, eisdem Iudæis conuersis cõdonentur. hortatur omnes vt Iudæis conuersis tribuant elemosynas, sed Episcopi etiam de redditibus ecclesiæ eis subueniant. conuersi non sunt contumelijs afficiendi: neophyti ciuium priuilegijs vtuntur: qui Iudæos baptizarunt, instruant eosdem in articulis fidei: neophyti ne habeant inter se mutuam conuersationem, ydem cum originarijs Christianis matrimonio copulentur: nullos ritus Mosaicæ legis obseruent si, contrafecerint, Episcopis aut Inquisitoribus deferantur: si ad ritus Mosaicæ legis reuersi fuerint, velut heretici puniantur.*

Vide extrauagante Ioan. xxii. incip. Dignum. tit. de Iudæis inter communes.

Edita anno Domini 1542.  
Ex bibliotheca nostra, erat autem impressa Romæ anno Domini 1550.



**V**PIENTES Iudæos, & alios infideles quoslibet ad fidem catholicam conuerti & prætextu bonorum per eos antea possessorum ab eadem fide non detrahi, Motu proprio ex cetera nostra scientia, auctoritate Apostolica, tenore præsentium hac in posterum valitura cõstitutione sancimus, quod quicumque eorundem Iudæorum, & infidelium ad dictam fidem conuerti volenti, etiam si in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcumque, tam mobilia, quàm immobilia, intacta & illata permanceant. Ita vt etiâ filij familias, & in patria potestate (vt præferitur) constituti, legitima, & quæcumque, alia portione bonorum patrimonialium, aut maternorum eis de iure, seu successione bonorum eis aliàs debitorum, per eorum parentes fraudari, aut priuari non possint, neque debeant, sed eis integre, etiam si contra voluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conuersi fuerint, etiam eorum parentibus viuētib, debeantur. Et si bona ipsa ex vsura, aut illicito quaestu fuerint acquisita, & nota sint personæ, quibus eorum fuerit de iure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum nisi restituatur male ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur: personis vero non extantibus prædictis, quia bona ipsa essent per manus Ecclesiæ in pie vsus conuertenda, bona huiusmodi eisdem Iudæis & alijs infidelibus

† ne ex bono opere poenam reportent.  
† c. Peccatum. de reg. iur. in 6.

**A** delibus, in fauorem suscepti baptismatis tanquam in pium vsum libere concedimus: eaque apud ipsos sic conuersos Iudeos & alios infideles remanere decernimus. Interdicentes sub diuine anathematis, pœna, quibusuis tam ecclesiasticis quam secularibus personis, ne vllam super bonis huiusmodi, quouis quęsito colore, molestiam inferant, aut inferri patiantur. Sed magnum se fecisse lucrū existiment, dum tales Christo lucrati fuerint. Et quoniam (vt scriptum est) qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauerit viscera sua, ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipso? si ipsi conuersionis tempore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam ecclesiasticos quam seculares, per viscera misericordię Dei nostri exhortamur, vt ipsis conuersis manus porrigant adiutrices, ipsi quoque dięcesani, non solum Christianos ad subueniendum ipsis exhortentur, sed etiā tam de redditibus ecclesiarum, prout poterunt, quā de his, quę ad pauperum vsus per ipsos conuertendos deuoluuntur huiusmodi neophitos sustentare negligant: ipsosque a detractionibus, & contumelijs paterna affectiōe defendant. Et quoniam per gratiam baptismi ciues sanctorum, & domestici Dei efficiuntur, longēque dignius existit regnare spiritu, quā nasci carne, eadem constitutione statuimus, vt ciuitatem & locorum in quibus sancto baptismo pro tempore regenerabuntur, vere ciues sint, & priuilegijs, ac libertatibus, & immunitatibus, quę alij ratione natiuitatis & originis duntaxat consequuntur, gaudeant. Curent insuper sacerdotes baptizantes, & alij de sacro fonte eos suscipientes, tam ante baptismum, quā post illos in articulis fidei, ac legis nouę præceptis, catholicęque Ecclesię ritibus diligenter instruere: & tam ipsi quā dięcesani operam dent, ne cum alijs Iudeis seu infidelibus, saltem per longum tempus conuersentur, ne sicut quandoque contigit, ab infirmitate curatis modica occasio ad pristinam perditionem recidiuos efficiat. Et quoniam experientia teste comperit est, mutuum ipsorum neophytorum inter se conuersationem, ipsos in fide nostra fragiliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur locorum ordinarios, vt quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent & studeant neophytos ipsos cū originarijs Christianis matrimonio copulare, & prohibeant eisdem sub grauibus pœnis ne mortuos more Iudeorum sepeliant, aut sabbata, aliasque solennitates, & antiquę scētę ritus quoquomodo obseruent; sed & Ecclesias, & prædicationes, prout alij catholici frequentant, & in omnibus Christianorum moribus se conformes reddant. Contemptores autem prædicatorum, per sacerdotes in quorum parochiis degent, aut alios ad quos de iure, vel antiqua consuetudine de talibus inquirere spectat, aut etiam per alios quoscunq; dięcesanis seu Inquisitoribus hereticę prauitatis deferant; & inuocato si opus fuerit auxilio brachii secularis, per eos taliter puniantur, quōd alijs transeat in exemplum. Et insuper de his omnibus in prouincialibus & synodalibus concilijs diligens fiat inquisitiō, & tam circa episcopos & sacerdotes in præmissis negligentes, quā ipsos neophytos, & infideles prædictos cōtemptores opportunum adhibeatur remedium. Si quis autem cuiuscunq; gradus vel præminentię fuerit huiusmodi neophytos ne obseruationem ritus Christiani, & aliorum præmissorum complectantur, fouerit aut defendere, pœnas contra fautores hereticorum promulgatas, ipso facto incurrat: neophyti vero si se corrigere post monitionem canonicam neglexerint, & ad vomitum iudiazantes redire comperti sint, contra eos tanquam perfidos hereticos per ordinarios locorum, secundum factorum canonum instituta procedatur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis priuilegijs, indultis, & literis etiam Apostolicis, seu etiam regijs, vel imperialibus eisdem Iudeis, vel infidelibus quomodolibet concessis, quę quatenus in detrimentum catholice fidei, aut nominis Christiani, seu aliquorum ex præmissis, quomodolibet vergent, ad effectum præsentium cassamus, irritamus, ac cassa, & irrita esse decernimus: alijs decretis & constitutionibus Apostolicis, quę super præmissis sunt condita in suo robore duraturis. Et huiusmodi sanctę constitutionis iugis memoria habeatur, & ne quisquam ipsius ignorantiam prætereundere possit, illam per singulas cathedrales & collegiatas Ecclesias, aliaque pia loca, in quibus vberior erit fidelium concursus semel in anno ad minus infra diuina publicari volumus & decernimus. Et quia difficile foret presentes ad singula quęque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quōd earundem præsentium transcriptis seu copijs, etiam impressis, & manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quę præsentibus adhiberetur vbicunq; forent exhibite, vel ostensę.

Concor. refecti  
prum Nicolai  
Pape incipi.  
Vincam relat.  
sup. pag. 68.

† forte, frigidiores.  
Neophyti non  
inter se, sed cū  
originarijs,  
Christianis ma-  
trimonia con-  
trahant vide in  
Directorio par.  
2. nu. 114. tit. de  
signis exterioribus  
quibus hæretici re-  
iudicantes di-  
gnoscuntur.

Neophyti re iudicantes vt per  
sidi hæretici  
puniantur.

**D**atum Romę apud Sanctum Petrum, sub annulo pifeatoris, die xxi. Martii, Millefimo quingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus nostri anno octauo.

**E** *Æ D I C T V M C O N T R A B I B L I O P O L A S,*  
*& librorum impressores, atque Dohanorum Officiales, ne publice nec secrete audeant*  
*vendere aliquos libros damnatos, reprobatos, & prohibitos, atque de hæresi suspectos:*  
*nec imprimere, nec eorum dominis relaxare, sine expressa licentia, & contra venden-*  
*tes, comparantes, legentes, audientes, communicantes, docentes, prædicantes: scien-*  
*tes, & non reuelantes, non reddentes, nec consignantes huiusmodi libros, sub diuersis*  
*pœnis, vt infra.*

Non